

3 am 40 EC 405-288

AD JVSTA FVNERI
VIRI PROBITATIS DOCTRINAE
^{AC}
INGENII LAVDE EXCELLENTISSIMI

**GVLIELMI
LUDOVICI
DASERI**

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
POLONIARVM REGIS AC ELECTORIS SA-
XONIAE CONSILIARIU AVLCI GRAVISSIMI
SPECTATISSIMIQVE

HODIE DIE XV. NOVEMBRIS DIGNE SOLVENDA

*CIVES ACADEMIAE QVOS CVMQVE
OFFICIOSE AC PER HUMANITER
INVITAT*

FRIDERICIANÆ PRORECTOR

HENRICVS BODINVS JCT.

SACRI TRIBVNALIS QVOD IN DVCATV EST
MAGDEBURGICO CONSILIARIVS REGIVS IVRIVM
PROFESSOR ORDINARIVS.

HALAE MAGDEBURGICAE.

Typis JOHANNIS GRUNERI Academ. Typograph.



On est salutaris, atque jucundare requies, quam
que in diuina benignitate, amorisque exi-
mu indissolubili vinculo queritur. Ut
enim D^EV^S molestissimis curis leuator;
(nec enim illis animi perturbationibus,
quibus mortales succumbunt, abripitur)
ita homines metu, cura, ira, voluptatumque stimulis, an-
gore, tabe, ægritudine, atque cruciatu vacui efficiuntur,
cum illum fragrantissimum sanctitatis, atque iustitiae diu-
næ odorem in illa mirabili luce, ac communione percipiunt,
sentiuntque. Quod si nostris viis incedimus, non tam ad
otium, atque tranquillitatem, que vera est, atque solida,
perducimur, quam ad pestem, & exitum sempiternum pro-
labimur, ybi nefariæ cupiditatis neque finis est, neque ter-
minus. Quid enim expetimus quælo? cuius rei gratia in
omnes ingenium partes versamus? ut voluptates, latitiam,
gloriam, diuitias consequamur? Atqui ægritudo gaudium
contaminat; contagium turpitudinis illud decus inqui-
nat; opes tædiosa calamitas peruerit. Itaque quiescere
nemo vere potest, nisi prius omnibus veris bonis exple-
tus, & cumulatus existenter. Huic autem cumulo recipien-
do is tantum aptus censemur, qui sanctissimis moribus de-
ditus iustitiam consecutatur; & ad DEI similitudinem efflo-
rescens ita se parat, excolitque; ut in eum illa plenitudo di-
uinitatæ largitatis ingredi, & cum eo arctissimo, ac suauissimo
simul nexu queat coniungi. Quo obtento dubium certe
non

non est, quin ille animi tortor, qui est CUPIDITAS, confessim sit recessurus, posteaquam animus in perfectissimi boni possessione, omnisque felicitatis abundantia desigitur, ac requiescit. Quæ enim mentem amplius cura solicitaret? Quod quiescit, ab omni commotione liberum est: quod ita liberum est, illud neque luctum, neque dolorem, neque clamorem, neque ipsam etiam mortem sentit. Nam quamvis corporis compages soluatur, atque in minticias redacta euaneat; non est tamen credibile, animum eiusmodi fragore posse concuti, qui sempiternæ veritatis voce sustentatur, ac cœlestibus præsidis in tranquillissima loca deducet plene ibidem exsatiatur, atque sedato amni persimilis viuit. Et ea vero ratione ex his terris abiit, omnesque do-lores longo post se interuallo reliquit GVLIELMVS LVDOVICVS DASERVS, Serenissimi ac Potentissimi Poloniarum REGIS ac ELECTORIS Saxoniae Confiliarius Aulicus bene merentissimus, vir suavis, sagax, morumque castimonia ita prætentis, ut non generi, neque opibus; sed virtuti, & probitati soli honorem, atque pretium statuere fuerit visus. Quamobrem vitæ eius partes sigillatum per tempora, atque species exsequemur, quo distinctius demonstrari, cognoscique possint. Natus 15 est a. cl^o I^oc xlv. xii. Kal. Iunias paullo ante solis exortum Rappoltsweileræ in Triboccis patre honesto, itemque graui, multisque honoribus fulgeante. Comitatur enim Rappoltsteinensi præpositus plurimum ad Serenissimi DVCIS ac PRINCIPIS PALATINI Bircofeldensis stemmatis comoda contulit, Confiliariumque eiusdem fidissimum egit. AGNES Mater ex nobilissimo HENRICI SCHACHII de SCHACHENECK Equitis Hierosolymitani, itemque Senatoris apud Argentinenses inter XIII. viros spectatissimi sanguine descendit, præstantissimarum seminarum exemplum, cuique sexus non ignobile ornamentum. Ab hac stirpe cum NOSTER genus traxisset, infantiam, pueritiamque habuit satis felicem. Statim enim Præceptoribus, iisque acer- rimis domi traditus est, qui ingenium docile, nec infrenuum expolirent; honestaque, ac christianæ vitæ præcepta eidem infigerent. Difficile enim est lubricæ ætatis cursum sine cau, ac prolapsione confidere; nihilque commercii

cum illis habere flagitiis, quæ specie sua incutis facile imponunt. Sed hæc tamen incensum eius studium nequam exstinxerunt, vel minus feruens effecerunt. Ita enim in librorum veterum lectione immorabatur, ut eiusmodi blanditiae incitatum ad bonas artes, humanissimasque literas cursum nullo retardare potuerint modo. Iis alis e domesticis parietibus decimum & septimum ætatis suæ annum vix egreſſus vnanimi PATRIS suorumque Magistrorum consensu in publicam Argentinensem Academiam euolauit; ut ibidem in ICtorum regiones descendere, & in primis JOHANNIS REBHANII, qui nec barbare loquebatur, nec inquitane scribebat; sed politissima studia cum seueriori Juris arte coniunxerat, disciplinam, ac eruditionem sectaretur. Eo duce, propriaque ingenii dexteritate celeriter adeo ad intima reconditæ, & multiplicis, subtilisque eius artis penetralia peruenit, ut post quadriennii spatiū elapsum PATRIS iuſſu in Galliæ, Angliæ, & Belgij fines iter direxerit; quo hominum mores, gentium instituta, rerum publicarum arcana, & colores pro ea, qua pollebat, mentis solertia rite perspiceret, cognosceretque. Inde redux factus fieri certe non potuit, quin rerum plurimarum scientia, incredibilis morum suavitatis, eloquendi vis maxima, verborumque sane bonorum cursus illustrissimum HOPHENLOÆ LANGENBURGENSIS stirpis COMITEM ita in admirationem raperet, ut FILIUS sui, qui nunc comitatui laudabili ratione præfet, moribus perpoliendis DASERUM præficeret. In quo opinionem de se neutiquam fecellit. Nam cum Tubingæ, Argentorati, ac Lipsiæ tandem Iuri Cæſareo, ac Pontificio, omniq[ue] mitiorum litterarum elegantiae, corporisque exercitationibus Illustrissimi JUVENIS animum, pectusque adsuefecisset, inque patriam cum eo revenisset, iudicavit statim fagacissimus, qui eum elegit COMES, FILIVM suum RECTORIS non pœnitendi ductu adeo profecisse, ut reliquum iter per se ipsum, propriisque auspiciis posset confidere, ac sine cortice, ut dicitur, natare. Quod certe magno honori DEFVNCTO est, & ad laudis, quam promeruit, dignitatem, cumulumque pertinet. Itaque aliorum vela convertit, isque, qui per tot annos pacis artium, civilisque habtius studio.

studiosus fuerat , repente militem induit , subque tentoriis
vixit . Nam cum a. cl^o I^oc LXXVI. Philippoburgum ab
foederatis , ac CAESARE magnis viribus oppugnaretur ,
ac NOSTER olim suauissimis suis moribus plures prima-
riæ nobilitatis viros sibi deuinxisset ; non destiterunt fane
ex illis nonnulli eum hortari , variisque suasionibus com-
pellere , vt toga relicta incederet in fago , & militaria signa
præ stilo , ac pugillaribus eligeret . Florebat autem iam
tum temporis præstantissimus Imperator JOANNES CA-
ROLVS de THVNGEN , sub cuius legione , auspiciisque
Legati munus strenue obibat , nihil iniustu Ducis , omnia
intrepide peragens . Quæ res magno ei adiumento fuisset
futura , si diutius itare in acie , perfungiique militia
voluisset . Sed placuit PARENTI opimo , vt FILIVS ,
quem tenero amore complectebatur , venia , ac missione
honesta impetrata , relinquoret Germanorum stipendia ,
quæ seueris modis Francorum Rex ea tempestate interdi-
xerat , in cuius potestatem Rappoltsteinensis Comitatus
erat redactus . Quam caußam fuisse credimus , cur DA-
SERVS denuo ad mansuetiores Musas conuersus in Tubin-
gensem scholam secesserit , vbi non ita pridem admirabili
quadam laude vixerat . Et illic autem libero , ingenuo-
que ingenio suo multorum amicitias non tantum adqui-
suit ; sed duos in primis nobilitate generis , ac propria vir-
tutum gloria florentissimos e Saxonia iuuenes , EINSI-
DELIVM intelligimus , atque BOHSTUM facilitate & iucun-
ditate naturæ suæ ita cepit ; vt hi EVM itineris , quod me-
ditabantur , comitem , sociumque omni animi contentio-
ne efflagitaverint . Nec illos , quantum scimus , suscepiti
consilii poenituit . Percalluit enim omnes fere linguas ex-
ternis oris peragrandis necessarias ; tenuit ciuitatum ,
quas lustrabat , gubernandi consilia , & artes : atque
hinc quod expletum , perfectumque apud Gallos , Italos ,
Auglos , Belgas inueniebatur , iis non tantum ostendit ;
sed ad imitandum dextre commendauit ; vnguenta , exo-
tica , ac peregrina vitia numquam non despiciens . Ex
quo id tandem est adsecutus , vt præclarissimos , cum qui-
bus vna erat , ADOLESCENTES , nulla turpiudinis labe
foedatos , ad patrios lares reduceret , eosque eminentissi-

mis , quas nunc sustinent , dignitatibus obeundis aptos , atque idoneos parentibus , propinquisque summo loco natis omni felici redderet . In his vero cum maxime emineret sanctioris Consilii Administer SECKENDORFIVS , Vir consummatissimus , factum est , ut hic ob doctrinam , prudentiam , & in rebus agendis dexteritatem NOSTRVM , ut postulabant merita , optimis quibusque commendaret , eiusque virtutes in lucem totius aulae , ac ciuitatis produceret . Quibus visis , ac animadversis noua statim prouincia , quamvis inuitio , ac repugnanti obtigit , Illustrissimusque COMES de ZINZENDORFF & POTTENDORFF , in quo magnam spem reipublicæ Proceres ponebant , eiusdem fidei , ac rectioni commissus est , atque subditus . Dicivix potest , quanta cum integritatis , caritatis , diligentiaeque laude in obeundo hoc munere sit versatus . Vicisse EVM dixeris gloriam superiorum . Aulici enim Consiliarii titulo a Saxonie Septemuiro ornatus per Heluetios , atque Allobrogos in Italiam descendit ; Neapolitanas delicias , vt decet , degustauit ; ac inde in Galliam delatus ad Cata-launos diuertit ; denique per Francos in Belgium remeavit , ac in Brabantiae metropoli , quæ est Bruxella , aliquantisper substitit , donec IOANNIS GEORGII II. inopinata mors alium gloriae campum tam COMITI , quam eiusdem EPHORO dilectissimo aperiret . Dehinc enim secundis in Britaniam velis ambo noui ELECTORIS Saxonie iussu nauigantes aureæ periscelidis ordinem , quem vocant , ad CAROLVM II. Regem retulerunt , quem excessu gerentis , ac habentis finiri constat . Ibi vero tanto honore aucti sunt , ornatique , vt longa cognitione regum stirpi adnexis ad eum amplitudinis , ac gratiae locum adspicere vix liceat . Adeo fortunis omnibus , muneribusque se viderunt cumulatos . Quamobrem summa animi alacritate inde soluentes de reditu in patriam cogitarunt , visisque in transcurso principis Principum Germaniae aulis in urbem ipsam , hoc est Dresdam faustissime sunt reduci ; ubi laborum suorum largissima præmia accepit DEFVNCTVS , vereque dictum deprehendit : cuique mores suam conciliare fortunam . Neque enim tantum Serenissimus ELECTOR EVM aulae suæ , iustitiaeque Consilia-

rium dixit ; sed etiam cum hanc operam in urbe Misniae primaria a se deprecaretur , dirigendis cursibus publicis maxima auctoritate præfecit ; evm demque rationum , quas Accisias appellant , ordinandarum Consiliis Lipsiae applicuit . Ibi igitur bene aliquando , tranquille , beateque , vixit ; ibi prouinciam sibi demandatam summa integritate administravit ; ibi cum aliquamdiu cœlibem vitam probasset , a. clo. I^o c xc. lectissimam sibi vxorem delegit , vacuoque toro , fatorum prouidentia sic dispensante , letum geniale multe tandem modis anteposuit . Sponsæ pulcerimæ ANNA MARTHA LEISERIA nomen erat , virginis castæ , verecundæ , incorruptæ , quam LVCAS LEISERVUS pater , I^oCtus summus , ac Potentissimi Brandenburgici ELECTORIS , simul ac Illustrissimi Mansfeldiæ COMITIS Consiliarius comparete aulicus ex honesto cum HERMANNIA matrimonio suscepit . HANC adeo mirifice amauit , ut dubium sit , vtrum ardentius ILLA MARITVM redamauerit , an hic in illo caritatis reciproco certamine palmam retulerit . Id memorabile , non nisi vnicum ex illa suavissima coniunctione superesse amoris pignus ; filium videlicet GUILIELMVM LVDOVICVM , qui PATRIS interitum lamentabili voce ploratunque prosequitur . Filia enim primogenita in difficillimo , ægerrimoque partu enecata est . Sed hanc tamen infelcis veteri stragem patienti animo tulisset NOSTER , dummodo probatissima CONIVGE , quam in medullis , auribus , oculisque ferebat , diutius frui licuisset . At posteaquam ILLA ex his terris in cœlum concendisset , insigni dolore conquassatum sentiebat pectus , ipsaque Lipsia luctum , squaloremque continere visa est , quod suauissimæ virtutis vocem , vultum , moresque sanctissimos ibidem non amplius offendeter . Itaque Suecicorum armorum formidine accedente eo facile animum induxit , vt prima fortunarum sede relicta depositoque , quod gerebat , muneric onere ad nostram ciuitatem commigret . Neque enim inepte reputabat venerandus SENEX celestia a mundanis interstitione quadam esse separanda ; reliquumque vitæ tempus sibi potissimum deberi , cum multos alienis rebus annos tribuisset . Quamobrem cupiditate inanissimarum rerum abiecta se totum

totum pietatis ; ac religionis operibus tradidit ; templum summa , atque antiqua religione prædicta frequenter adeundo ; liberalitatem in pauperes exercendo ; sacrosancta corporis, ac sanguinis Christi mysteria tanto ardore percipiendo , vt facile esset illam amoris diuini mollissimam flammanam in eo animaduertere. Ac in hac quidem meditatione atque exercitatione, peccatorumque suorum perpetua agnitione ad ultimum vitæ momentum , quod præter opinionem inguebat , perdurauit. Nam quamvis firma satis corporis constitutione esset , isque se plerumque belle haberet , factum tamen est , vt paucos ante dies bonarum mentium carnicem , hoc est , calculum in renibus sentiret . Non crediderunt medice artis periti ægritudinis lethalis vim , impetumque subesse. Sed cum mox attonitus morbus accessisset , veluti iactu fulminis aut sidere percussus repente V. Id. Nouembreis corruit . Quapropter , CIVES , si meis aliquid conceditis precibus , funus , quod hodie efferimus magnifice , ea , qua pars est , pietate ad tumulum comitantes condecorare. Dignum est tantum hominis ingenium , tantaque probitas , vt numquam ex nostra memoria labatur , & cadat ; sed in hominum celebritate versetur. Quæ enim aut maior excogitari laudis , aut felicitatis species potest , quam exire ab hominibus , & ab ipso Deo adoptari , inque beatissima pace in diuinam quodammodo natu ram conuersti ? P.P. Halæ Magdeburgicæ

XVII. Kal. Decembreis
ccccix.

